



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio V. Explicatur secunda conditio ex parte operis ad Meritum requisita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

sive ad peccatum, ut diximus.

83. Non placent, quia dici potest, omissionem illam furti esse moraliter specie diversam sub hoc, aut sub alio sine interpretativè volito; siquidem eò ipsò, quod in uno casu proponitur omisso furti præcisè ut bona, quia in se honesta est, talis honestas censetur tunc interpretativè voluntaria: in altero autem eventu, quando scilicet proponitur omisso bona solum ob finem malum, solum illud malum censetur interpretativè voluntarium; hæc autem duæ volitiones, sive omissiones ita volitæ sunt moraliter specie diversæ; ergo una potest esse meritoria, non ita verò alia.

84. Respondeo igitur secundò cum *P. Arraga cit. n. 14.* dato antecedente, & negando consequentiam; nam in eo casu, quo omittens furtum non habeat alium finem extrinsecum talis omissionis interpretativè volitum, nisi intrinsecam illius honestatem, adhuc talis omisso non erit meritoria; siquidem non amatur à voluntate sub ratione formali honesta quæ tali, sed ad summum, ut objectum materiale, quod ad rationem meriti non sufficit; quando autem dicitur, voluntatem in omni suo actu debere habere aliquid objectum formale, aut expressè, aut interpretativè volitum, intelligitur de omni suo actu positivo, non autem de pura omissione.

85. E ratio est, quia ut voluntas non necessitetur ad amandum aliquod objectum, consequenterque ut possit omittere ejus amorem, satis est, quod in eo objecto non proponatur summa bonitas, ad se attrahens ipsam voluntatem, nam eò ipsò habet voluntas fundamentum ad omittendum amorem, licet non attendat ad aliquam bonitatem ipsius omissionis; ergo potest omisso furti in eo eventu esse libera, licet non ametur, nec quidem interpretativè, ejus honestas, sed ex eo præcisè, quod furtum in eo eventu non attrahat ad se quasi infinitè voluntatem; ac proindè talis omisso non erit ob suam intrinsecam honestatem interpretativè volita, tanquam propter objectum formale, sed ad summum materiale, sicque non erit meritoria.

86. Oppones 5. Licet omisso peccati sit possibilis naturaliter physicè, sæpè tamen est ita difficilis, ut moraliter sine speciali Dei auxilio homo non possit non peccare; ergo tunc omisso procedet à principio supernaturali; consequenterque erit meritoria juxta sententiam asserentem ad meritum requiri principium supernaturale. Respondeo in eo eventu non esse necessarium ullum auxilium ex parte principii influentis in omissionem, sed solum, ut cognitio hominem ab eo peccato retrahens sit fortior: cognitio autem, juxta veram sententiam, non efficit actionem diversam, cum non influat in eam efficienter, prout alibi diximus, sed solum illuminet voluntatem; quod maximè locum habet in omissione, quæ sive cognitio sit supernaturalis, sive non, solum habet pro motivo carentiam summæ bonitatis allicientis in objecto, quod amandum erat; sicque non habet, quod necessarium est ad meritum supernaturale, cum naturalis sit, tam in se, quam quoad principium, Plura alia argumenta poterant ex supradictis deduci, quia tamen eorum solutiones ex ibi dictis apparent, idè ab illis abstinemus.

87. Dubium tamen adhuc est: Utrum ad meritum de condigno sufficiat saltem conatus voluntatis ad volendum bonum absque actu positivo ipsius voluntatis? Advertendum est primò *Angeft. supr. cit. in Moral. cap. 10. §. antepenult.* apud *P. Soar. cit. tomo 3. de Grat. lib. 12. cap. 2. num. 3.* tria distinguere

in usu libero voluntatis humanæ, nempe actum positivum ab ipsa voluntate elicatum; omissionem, sive carentiam ipsius actus, & medium aliquid inter utrumque, nempe conatum ipsius voluntatis ad volendum, aut nolendum, quem conatum asserbat, posse effectu carere, si Deus subtraheret concursum, aut daretur aliquid aliud impedimentum occurrens, quod ipsi voluntati resisteret.

Secundò, talem conatum (ut ipse affirmabat,) esse aliquid positivum medium inter actum, & ejus privationem, & in his omnibus tribus reperiri posse meritum de condigno. De pura omissione id probabat isdem fundamentis, de quibus supra: de actu positivo omnes Catholici id admittunt: de conatu autem sic probabat; quia voluntas potest conari ad actum, illum tamen non efficere ob aliquod impedimentum; ergo si talis conatus sit ad bene operandum, ipse solus, cum sit quid positivum sufficiens ad meritum, eritque dignus præmio, licet re ipsa non detur operatio, cum per voluntatem non stet, quominus cum ipso conatu simul actum ponat illum eliciendo.

Nihilominus hæc illius sententia communiter ab omnibus rejicitur, ut videre est apud *P. Soar. cit. num. 5.* Primò quoad omissionem, ut patet ex hæcenis dictis. Secundò quoad ipsum conatum sic: quia vel actus, ad quem voluntas conatur, est externus, id est, alterius potentie à voluntate; vel internus ab ipsa voluntate eliciendus: si externus (idemque argumentum fieri potest, si voluntas dicitur conari ad actum internum à se elicatum, aut eliciendum, ut consideranti patebit,) & homo potest illum exequi, habebit effectum, si voluntas verè, & efficaciter conetur, & prout sic non erit sine actu, ad quem conatur: si illum non potest exequi, aut quia Deus non vult concurrere ad talem actum; aut quia potentia aliunde est impedita, tunc conatus est quoddam desiderium, sive affectus ad exequendum talem actum, si possit, eritque meritorius sine actu, quem habet pro objecto; siquidem tunc voluntas pro facto reputatur, nunquam tamen tale meritum datur absque actu positivo absolute, & simpliciter, quia conatus ille est aliquis actus ab ipsa voluntate elicitus, cum sit desiderium, & actualis illius affectus; ergo &c.

Hinc colliges, licet inter aliquem actum particularem, & determinatum, illiusque privationem cogitari possit conatus quasi quid medium inter utrumque; non posse tamen inter actum, & privationem actus absolute, & generatim sumptam, intelligi conatum medium; siquidem non potest fingi conatus medius, & distinctus ab actu primo, qui non sit actus elicitus ab ipsa voluntate, utpotè quæ per ipsum conatum actualiter movetur volendo, sive desiderando alium actum, sive externum, sive internum; talis autem motio actualis est aliquid positivum distinctum in ipsa, & ab ipsa voluntate in actu primo, & ei additum, sicque aliquis actus ab illa elicitus, & meritorius, quia positivus.

SECTIO V.

Explicatur secunda conditio ex parte operis ad Meritum requisita.

DIFFICULTAS 2. Utrum ad Meritum de condigno requiratur necessariò, quod actus sit liber: & quæ necessitate? Hæc questio excitari potest secundum legem ordinariam rerum naturis consentaneam: aut

aut etiam secundum absolutam Dei potentiam. Hoc posito.

92. Dico 1. Ad meritum de condigno, secundum legem Dei ordinariam, requiritur necessarium libertas, non solum a coactione, sed etiam a necessitate. Ita D. Thom. 1. 2. q. 21. art. 3. ad 2. & in 3. part. q. 18. art. 4. & q. 19. art. 3. & 4. D. Bonav. in 3. dist. 18. art. 1. q. 1. ad 3. Scot. ib. quest. unica. §. Est igitur. Albert. art. 2. ad 1. & 2. Richard. art. 1. q. Almain. q. 1. Durand. q. 2. n. 5. & in 2. dist. 5. q. 3. ad 1. & dist. 27. circa lit. Ocham. in 1. dist. 17. q. 2. Alens. 3. p. q. 17. memb. 2. art. 2. Marsil. in 3. q. 12. art. 1. Sor. lib. 3. de Natur. & Grat. cap. 7. Vega. lib. 15. in Trid. cap. 16. Hofius in Confess. cap. 37. P. Bellarm. lib. 5. de Justificat. cap. 10. & cum illis P. Soar. tom. 3. de grat. lib. 12. cap. 3. n. 1. P. Tanner. tom. 2. d. 6. de grat. q. 6. dub. 4. n. 66. P. Amicus tom. 3. d. 35. sect. 2. n. 11. Castro. verb. liberum arbitrium. Recard. art. 6. & 7. Rossen. art. 32. P. Valsq. 1. 2. d. 217. cap. 13. P. Merat. d. 14. sect. 1. P. Arriaga d. 53. sect. 1. n. 6. P. Compton. tom. 1. d. 126. sect. 7. n. 1. P. Rhodex tom. 1. d. 4. de grat. q. 2. sect. 1. §. 1. & alii.

93. Probatur primò autoritate Sacre Paginæ. Ecclesiast. 15. Deus ab initio constituit hominem in manu consilii sui. Et infra: Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit, dabitur illi. Et cap. 31. Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit: & statim: Ideò stabilita sunt bona illius in Domino. Et 2. Tim. 4. Reposta est mihi corona iustitiæ; corona autem libertatem operum supponit. Et cap. 2. Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit. Et 1. Cor. 9. Si volens hoc agere, mercedem habeo: Si autem invitus, dispensatio mihi credita est; ex quibus locis satis constat ad præmium, aut pœnam non perveniri, nisi pro libertate operantis; ergo &c.

94. Probatur secundò autoritate Sanctorum Patrum. D. Aug. lib. de grat. & liber. arbit. cap. 2. Ipsa divina præcepta, inquit, homini non prodesse, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa premia perveniret. Et lib. 1. de liber. arbit. cap. 1. Non rectè factum, ait, aut peccatum esset, quod non fieret voluntate, ac per hoc, & pœna injusta esset, & præmium, si homo voluntatem non haberet liberam. Et D. Justin. Apolog. 1. ad medium: Neque enim, ait, quidquam horum laude dignum esset, nisi illi (id est homines,) utramque in partem convertere, & quasi flectere se possent. Et D. Iren. lib. 4. cap. 71. Qui operantur, inquit, bonum, gloriam, & honorem percipiunt, quoniam operati sunt bonum, cum possent non operari illud. Et D. Paulin. Epist. 2. ad Severum. Quæ nobis est gratia, inquit, si in alieno tantum fideles fuerimus, nisi de proprio serviamus, id est, de libero voluntatis arbitrio? Et D. Hieron. lib. 2. in Jovinianum, ubi: Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia necessitate trahimur. Alioqui ubi necessitas, nec corona, nec damnatio est. Et D. Bern. in Cant. serm. 51. Ubi non est libertas, nec meritum. Idem habent Clem. Alexand. lib. 1. Stromat. ad medium. D. Basil. orat. Quod Deus non sit author malorum. D. Chrysost. hom. 22. in Gen. D. Cyril. lib. 2. in Joan. cap. 54. Terrul. lib. 2. in Marcion. ad medium. D. Hilar. in Psal. 2. Et potest confirmari ex Trid. sess. 6. cap. 5. 10. 11. 13. & 16. & can. 31. & 32. quatenus in operibus gratiæ, & salutis libertatem requirit.

95. Probatur terciò rationibus: Prima, quia Sol, Luna, campi, vineæ, horti, jumenta, pecora, & multæ aliæ res creatæ, maxima nobis commoda præstant; & tamen non dicuntur propriè de nobis bene mereri; siquidem non liberè, sed necessariò id faciunt; ergo &c. Secunda, quia merito debe-

Tom. 2.

tur merces; sed debitum non oritur, nisi ex eo, quod unus dat alteri, quod suum est; si enim non suam, sed alienam rem daret, nihil ei deberetur; nihil autem propriè nostrum est, nisi quod pro arbitrio possumus facere, aut omittere, cum solum hæc sint in nostra potestate, & horum dominium propriè habeamus; ergo &c. Tertia, quia mala opera, nisi liberè fiant, nullam pœnam merentur; ergo neque opera bona præmium merebuntur, nisi etiam liberè facta fuerint.

Dico 2. Libertas propria actus, ut sit condignè meritorius apud Deum, ita est ex natura rei, & essentialiter necessaria, ut sine illa talis esse non possit, etiam de potentia Dei absoluta. Ita P. Soar. cit. n. 6. P. Tanner. cit. n. 69. dicens oppositam sententiam, si de facto procedat, esse erroneam, si autem de possibili, esse falsam, & improbabilem. P. Amicus cit. n. 12. & alii supra cit.

96. Probatur primò autoritate Sacre Paginæ, & Sanctorum Patrum, de quibus conclusione præcedente, qui idem videntur supponere, quod in præfenti affirmamus, quatenus ex merito actuum, illorum libertatem colligunt; si enim necessitas libertatis ad meritum non esset intrinseca, & essentialis ex natura rei, sed ex sola institutione, & acceptatione divina, posset facilè responderi, opera hominum esse meritoria, non quia libera sunt, sed quia Deus voluit illa acceptare; cum tamen è contra Sancti Patres supponant, idè posse esse digna, ut acceptentur ad meritum, quia libera sunt; ergo &c.

97. Probatur secundò rationibus: Prima, quia esse meritorium, aut demeritorium in actibus, est eorum proprietas moralis, quæ supponit eorum esse morale; sicut proprietas suam naturam; sed actus constituuntur in suo esse morali, & laudabili per libertatem, ut est commune in materia de Actibus humanis; ergo neque meritum, neque demeritum stare possunt cum actu non libero. Secunda, quia esse laudabile, aut vituperabile, est proprietas actus liberi; siquidem non laudamur, neque vituperamur, nisi de iis, quæ nobis libera sunt; sed meritum, aut demeritum supponunt laudabilitatem, aut vituperabilitatem in actu; ergo & libertatem. Tertia, quia, ut quis condignè mereatur, debet esse dominus sui operis, per quod meretur, & ei debetur præmium, ut sic possit alterum apud quem meretur, obligare secundum aliquam æquitatem iustitiæ, quæ ad meritum requiritur; sed homo solum est dominus eorum, quæ liberè facit, cum solum hæc facere, aut omittere possit pro suo libitu; ergo &c.

98. Oppositum tenent Major in 3. dist. 18. quest. 1. Gabr. ibid. art. 1. notab. 5. & art. 3. dub. 1. Olchor. ibid. q. 1. art. 4. qui etiam de facto admittunt aliquam dispensationem istius legis, saltem in Christo Domino, quem meruisse putant per actum fruitionis, seu amoris beatifici omninò necessarium; aut quia existimant non fuisse in Christo Domino alios actus liberos à necessitate; aut quia licet illos habuerit, debuit tamen per illum actum perfectissimum, etsi necessarium, mereri pro quibus. Argues 1. Christus Dominus meruit nobis de condigno per actum amoris beatifici; & tamen talis actus non fuit liber, sed necessarius; ergo &c. Respondeo negando majorem; neque enim Christus Dominus meruit per actum amoris beatifici quæ talis, utpotè qui erat omninò necessarius, saltem in genere; siquidem summum bonum clarè visum per visionem Beatam, qualis est Deus, quem videbat Christus Dominus, necessitat ad sui amorem; alioqui si actus ille omninò necessarius

Ll 2

posset

posset esse meritorius, vix posset reddi probabilis ratio, cur etiam non meruerit per ipsam visionem Beatam, aut gratiam unionis Hypostaticæ; his autem tribuere proprium meritum, improbabilissimum est, & inauditum, ut ait *P. Soar. cit. n. 8.*

100. Unde tanquam certissimum statuendum est, Christum Dominum habuisse opera libera, per quæ mereri potuit, & de facto meruit, neque de hoc inter Catholicos posse esse controversiam, licet in solvendis difficultatibus, quæ in explicanda hac libertate occurrunt, sit inter eos varietas, quæ alio in loco explicatur, & nos fortassis explicabimus. Dixi tamen supra, Christum Dominum non meruisse per actum amoris beatifici quæ talis, quia valde probabilis est sententia affirmans, meruisse per eundem amorem, non quæ beatificum, & ad Deum terminatum, sed prout terminabatur ad creaturas in Deo cognititas, quia prout sic erat liber. Ita *P. Perez. de Incarnat. d. 33. sect. 2. num. 5.*

101. Argues 2. Meritum datur in operibus bonis ex ordinatione, & acceptatione Divina, quatenus scilicet Deus illa ordinat, & acceptat ad vitam æternam; sed Deus potest sic ordinare, & acceptare opus non liberum; ergo ut sit meritorium non requiritur libertas. Respondeo negando maiorem; licet enim ordinatio & acceptatio Divina requirantur, ut Deus teneatur reddere præmium pro opere bono, quod ordinavit, & acceptavit, imò & cui vitam æternam promisit, talis tamen ordinatio, acceptatio, & promissio supponunt in ipso opere capacitatem, ratione cuius ordinetur, & acceptetur, & ei teneatur Deus reddere gloriam suam promissam; hæc autem capacitas procedit ex eo, quod sit liberum; sicut igitur Deus non potest sic præmiare opus malum, ita neque non liberum.

102. Instabis: Deus potest promittere, & acceptare ad gloriam actum necessarium, imò & naturalem; ergo tales actus, quin sint liberi, sunt meritorii. Respondeo negando consequentiam; licet enim Deus possit sic acceptare tales actus, gloria tunc respectu illorum non habebit rationem præmii, sicut neque actus ipsi rationem meriti, sed habebit rationem doni liberalis, liberaliter à Deo collati, sub conditione tamen talium actuum; sic enim si quis tibi promittat decem aureos, si eras Missam audieris, auditio Missæ tunc non habebit rationem meriti, sed tantum conditionis, & decem aurei non habebunt rationem præmii, sed doni liberaliter collati.

103. Argues 3. Amentes, pueri, imò & bruta aliquando præmio, & supplicio afficiuntur propter aliquas actiones; & tamen libertate carent; ergo &c. Respondeo negando maiorem; nullum enim ex his proprie præmiatur, nec punitur; sed tantum muneribus alliciuntur, aut dolore aliquo deterrentur, ut utriusque memores ad actum aliquem faciendum, aut fugiendum impellantur.

104. Argues 4. Præmium debetur honestati operis; sed eadem honestas datur in actu libero, & necessario; ergo & idem meritum. Respondeo distinguendo maiorem: debetur honestati operis physice, & secundum se spectatæ; nego maiorem: moraliter, & laudabiliter sumptæ; concedo maiorem: hæc autem honestas moralis, & laudabilis tribuitur actui, non necessario, sed libero. Accedit, quod honestas operis solum est digna præmio, quando potest operanti imputari; huic autem non imputatur opus necessarium, sed liberum; illud enim potius naturæ, & ejus auctori imputatur.

105. Argues 5. Libertas in actu elicito est quædam denominatio extrinseca, ergo propter illam non

potest actus ita fieri meritorius, ut sine illa talis non sit, saltem divinitus. Respondeo dato antecedente, quod aliqui negant, negando consequentiam; licet enim talis denominatio sit extrinseca, supponit tamen in operante potestatem intrinsecam ad habendum, aut non habendum talem actum, per quam potestatem redditur illius dominus, & ratione hujus domini potest acquirere jus morale in præmio, quod non acquireret, secluso tali dominio.

SECTIO VI.

Virum quæcumque libertas sufficiat ad Meritum de condigno?



Suppono primò, plures esse gradus libertatis in actibus humanis: aliqui enim sunt perfectè liberi, quia sunt cum perfecta advertentia: alii sufficienter liberi, quia sunt cum advertentia sufficienti ad potestatem morale agendi, vel non agendi, non tamen sunt cum perfecta deliberatione: alii tandem, licet non sint omninò necessarii, sunt tamè imperfectissimè liberi, quia sine sufficienti deliberatione morali sequuntur ex aliqua subita apprehensione. Secundò libertatem, aut esse ad eligendum unum ex duobus inter se inæqualibus, & dicitur libertas moralis: aut ad eligendum unum ex duobus omninò æqualibus, & dicitur libertas physica, de quibus infra. His suppositis.

Dico 1. Ad meritum de condigno gratiæ, & gloriæ requiritur, & sufficit libertas perfectæ, quæ saltem includat actualem advertentiam sufficientem ad potestatem morale agendi, vel non agendi. Ita *Zumel. 1. 2. q. 114. art. 1. d. 1. dub. penult. & d. 3. q. 114. art. 3. P. Soar. tom. 3. de grat. lib. 12. cap. 3. n. 12.* & alii supra cit. Probatur primò, quia meritum de condigno gratiæ, & gloriæ est magnum, & excellens bonum morale; ergo ex parte principii requirit causam perfectam, & plenum dominium ad agendum, vel non agendum.

Probatur secundò, quia meritum consistit in obsequio voluntario; sed non potest esse simpliciter, & perfectè voluntarium; neque Deo simpliciter placere, ut gratiam, & gloriam tribuat, opus factum absque perfecta deliberatione; ergo &c. Tertio, quia ad ultimam dispositionem gratiæ requiritur libertas ita perfectæ, ut sit in morali potestate voluntatis converti, & non converti ad Deum; ergo similis libertas requiretur ad augmentum gratiæ; siquidem non minor libertas requiri videtur ad augmentum gratiæ, quam ad ejus primam productionem.

Probatur antecedens: Primò, quia ita sumitur ex *Trid. sess. 6. cap. 5. & can. 4. & 5.* Secundò, quia ad peccandum moraliter necessaria est hujusmodi libertas; ergo multò magis ad conversionem excludentem ipsum peccatum, saltem dispositivè: tum, quia debet servari proportio: tum, quia difficilius & gravior est actus conversionis: tum etiam, quia in illo actu principaliter operatur gratia, quæ illuminando, & dirigendo, ac juvando, non autem perturbando rationem operatur.

Dico 2. Ad meritum de condigno non requiritur deliberatio omni ex parte perfectæ. Ita *P. Soar. cit. n. 13.* Probatur primò, quia sine illa potest dari voluntarium simpliciter perfectum; ergo etiam meritum condignum. Secundò, quia ex parte voluntatis non requiritur summa applicatio; ergo neque